

Burgundiæ etiam, antequam ad regale fastidium divina disponente gratia vocaremur, multis annis assidue, fideliter, diligenterque nullum recusando periculum domi, forisque servivit, & adhuc continue servit, præsertim quia illorum privilegiorum memoriam conservari non minus S. Romano Imperio est decorum, & gloriosum, quam Ecclesiæ Aquensis, & ipsius Episcopis utile, & necessarium & testimonium perhibere veritati non modo liberale, & regale, sed etiam sanctum, ac divinum esse nemo dubitat, ipsius divi Caroli IV. Romanorum Imperatoris prædecessoris nostri litteras sanas, integras, & illæsas, & omni prorsus suspitione carentes, benevivas, & perspectas, & in nostra procerumque nostrorum præsentia sæpius lectas, & intellectas, ipsiusque serenissimi Caroli IV. prædicti prædecessoris nostri consueto signo signatas ejusdem Imperiali sigillo integro, & illæso sericis aureis, nigrisque cordulis pendenti sigillatas, in cujus quidem sigilli parte anterioris sedit Imperialis Majestas dextra sceptrum tenens, in exteriori vero Aquila est Regalis impressa ad perpetuam rei memoriam, & motu proprio Principum procerumque nostrorum accedente consilio ex certa scientia, & de absoluta ac plena nostra Cæsarea auctoritate, ac potestate matura deliberatione præhabita in hujus præsentis transfumti forma redigi, atque transcribi, sigilloque nostro Regio communiri jussimus cum Cæsarei nostri inter positione decreti, ut ubique terrarum tam in judicio, quam extra, & in perpetuum, & in omne tempus ubicumque, & quodcumque opus fuerit plenam, indubiam, ac illibatam fidem faciant Volentes nihilominus, & sub nostræ Cæsareæ indignationis, & arbitrii pœna mandantes, & præcipientes non minorem huic nostro Cæsareo transfumto quam ipsis originalibus prædictorum privilegiorum litteris fidem ubique ab omnibus, & singulis adhiberi. Datum in oppido nostro Inspruch die prima Octobris, anno Domini MDIII. Regnorum nostro-Romani XVIII. Hungariæ vero XIV.

Signatum Maximilianus.

Confirmatio conventionis a Thoma de Regibus olim cum capitulo Aquensi facta circa commutationem census monasterii de Latronorio cum multis pro absolute oppressionum infantum.

396

M D X X I X.

In nomine Domini amen. Anno Nativitatis ejusdem MDXXIX., indictione II., die vero X. mensis septembris. In mei Notarii publici, testiumque infra scriptorum ad hoc specialiter vocati, & rogati præsentia personaliter constitutus Rev. in Christo Pater Dominicus Dei, & Apostolicæ sedis gratia Episcopus Aquensis, & Comes ex una, & R. utriusque juris Doctor D. Theobaldus Ainardus præpositus, & syndicus, & procurator RR. DD. Canonorum, & capituli Ecclesiæ Aquensis ex altera, asserentes quod monasterium S. Mariæ de Latronorio reddit singulo anno præfato Rev. D. Aquensi lib. VIII. ceræ, & dicto capitulo lib. VI. in festo Purificationis B. M. V., ut ex instrumentis, & libris antiquis Episcopatus, & capituli dictæ Eccle-

siæ: & alias B. M. D. Thomas Episcopus Aquensis, & DD. Canonici, & capitulum dictæ Ecclesiæ convenerunt cum dictis Canonicis, & capitulo, ut Episcopus Aquensis pro tempore recipiat singulo anno totam ceram prædictam, scilicet lib. XIV., & pro recompensa ipsi DD. Canonici, & capitulum recipiant totam ceram, & pecunia alia, quæ dantur omni tempore per illos, qui opprimunt infantes pro absolute oppressionum pro usu dictæ Ecclesiæ, & capituli luminando sanctissimum corpus Christi, & aliis necessariis in dicta Ecclesia, quam conventionem præfati Rev. D. Episcopus, & D. Theobaldus, quibus supra nominibus approbarunt, & confirmarunt, & sic de novo convenerunt, prout hætenus fuit observatum per solemnem stipulationem hinc inde, & ipse Rev. D. Episcopus præfatus licentiam dedit, & auctoritatem DD. Canonici, & capitulo Ecclesiæ Aquensis, qui pro tempore fuerint eligendi singulo anno, vel quodcumque eis placuerit unum ex ipsis dictis Canonicis, & de capitulo, qui habeat curam absolvendi in dictis casibus oppressionum, cui eligendo, ut præfatus ipse Rev. D. Episcopus ex nunc prout ex tunc, & ex tunc, prout ex nunc auctoritatem dedit, & omnimodam facultatem concessit absolvendi quoscumque in prædictis casibus oppressionum, & injungendi pœnitentiam salutarem pro modo culpæ, prout ipsemet R. D. Episcopus absolvere potest præfate dicto D. Theobaldo dictis nominibus præmissa omnia, & singula acceptante. De, & super quibus omnibus, & singulis præmissis prædicti R. D. Episcopus, & D. Theobaldus petierunt a me Notario infra scr. . . . fieri . . . unum, & plura publicum instrumentum. Acta fuerunt hæc in civitate Aquis in palatio Episcopali, & in camera cubiculari prædicti D. Episcopi præsentibus ibidem Ven. Presb. Casalensi, & Petro de Tartaris de loco Ursariæ Aquensis dioc. Ego Percival. de Ainardis civis Aquensis publ. Imperiali auctoritate Notarius, præfatique R. D. Episcopi Aquensis cancellarius interfui ideo hoc præfens publicum &c.

Diploma Caroli V. Imperatoris Petro Vorstio Episcopo Aquensi.

M D X X X I.

397

In nomine sanctæ, & individuae Trinitatis amen. Carolus V. divina favente clementia Imperator augustus, ac Rex Germaniæ, Hispaniarum, utriusque Siciliæ, Hierusalem, Hungariæ, Dalmatiæ, Croatiae, Insularum Balearium, Sardiniae, Fortunatarum, & Indiarum, ac Terræ firmæ, maris Oceani &c. Archidux Austriæ, Dux Burgundiæ, Lotharingiæ, Brabantiae, Limburgiæ, Luxemburgiæ, Gheldriæ, Wirtembergiæ, &c. Comes Habsburgi, Flandriæ, Tirolis, Artesiæ, Burgundiæ, Palatinus Hannoniæ, Hollandiæ, Zelandiæ, Ferreti, Kiburgi, Hamurci, & Zutfanæ, Landgravius Alsatiæ, Marchio Burgariæ, & S. R. I. &c. Princeps Sueviæ Dominus Friisæ, Molinæ, Salinarum, Tripolis, Mechiniæ &c. Ad perpetuam rei memoriam recognoscimus, ac notum facimus tenore præsentium